Illustri & incomparabili Viro,
CONSTANTINO HUGENIO,
Robertus Keuchenius S.P.D.

Iratum aliquoties FRONTINO meo, Vir Illustris, cum fidei meæ vim inferret, & effrontem me faceret; tandem me suâ fronte coram exacto judicio Tuo reum sistit, & quicquid delictorum est, oggerit. Satis iniquè, fateor, nec ineptè tamen, si cunctando judicabis, quas fecimus, fabulas. Sola mihi veniæ spes in humanitate Tuâ restat, quæ ne difficilis sis, exorabit. Reprehendebat olim Albinum Cato, quod deprecari culpam, quàm eâ carere maluisset: abutar præjurationis verbis: IDEM IN ME. Peccavero tamen nihil, nisi Tibi videbor; non videbor autem, si placuerint hæc ista. Sic extra censuram sum, & notam effugi. Quod si tantilla displiceant, nolim frontem ferias, sed obductâ, condemnes. Verum salva res est: cum pro quâ culpam deprecari necesse sit, non habeam. Placeant ergo, quæ semel explicatâ fronte leges: Leges autem, cum perfricto parcere, & culpâ vacuum præstare FRONTINUM dignaberis.
Arnhemi Gelror. a. d. VI. Kalend. April. julian. CIƆIƆCLXI.

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 21-22
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0490

Illustri et incomparabili Viro,

CONSTANTINO HUGENIO,

Equiti, Zulechemi & Zeelhemi To-
parchæ, Celsissimo Arausionensium
Principi à Consiliis & Secretis.

Hagam Com.

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 21-22
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0490